



XXXVII.

I. N. J.

DISSERTATIONEM LEGALEM  
DE  
LEGE FALCIDIA,

1669/18

permissu  
*Magnifici Domini Ordinarii & Amplissimi Jcto*  
*rum Ordinis in celeberrima*  
ACADEMIA LIPSIENSI,

Sub  
PRÆSIDIO  
*Viri admodum Reverendi, Prænobilissimi, Am-*  
*plissimi, Consultissimi atq; Excel-*  
*lentissimi*

2

DNI. BARTHOLOMÆI LEONHARDI  
SCHVENDENDORFFERI

J. U. Doct̄oris atq; Professoris spectatissimi, Canonici  
Martisburgensis gravissimi, Curiā Supremæ & Facultatis  
Juridicæ Assessoris spectatissimi &c.

*Dni. Patroni, Promotoris, Fautoris omni honoris cultu*  
*prosequendi, afficiendi,*  
Eruditorum Centui submittit

JOHANNES HEINRICUS VVEISSENBORN,  
Longo Salis, Thur.

A. & R.

IN COLLEGIO PETRINO.

Die 30. Decemb. 1669.

LIPSIÆ,  
Typis Johannis Wittigaviani.

*J. A. Engelmann*





DISSERTATIONEM LEGALEM  
DE  
LEGGE FALCIDIA

AVCTORE  
FRANCISCO  
ACADEMIAE TURICENSIS  
PROMOTORE  
FRANCISCO  
CANTUARIENSIS  
CANTUARII

FRANCISCO  
LEONHARDI  
SCHWABENBURGERI

IN REGIA  
MUNICIPALIS  
INSTITUTIONE  
PROMOTORE  
FRANCISCO  
LEONHARDI  
SCHWABENBURGERI

FRANCISCO  
LEONHARDI  
SCHWABENBURGERI  
IN COLLEGIO  
PROMOTORE  
FRANCISCO  
LEONHARDI  
SCHWABENBURGERI







DISSERTATIONIS  
DE  
LEGE FALCIDIA

MEMBR. PRIMUM.



Dissertatio hæc duobus absolvetur membris, quorum prius explanabit tam *nominalem*, quam *realem definitionem*, & *in quibus obtineat*; posterius verò *subjectum*, *Formam*, *Finem* & *in quibus cesset*.

Hic noster esto ordo,

Ne autem longè morer, statim progressum faciam boni ordinis ergò, qui in jure præsertim laudabilis est, *Cagnol. de reg. jur. in rubr. n. 4.* ad derivationem hujus nominis, cum disputantium sit, ne illotis statim manibus, ad rei ipsius penetralia progrediantur, sed denominationem præmittant. *Nomen habet lex* **FALCIDIA**, ut rectè cum *Dn. Wesenb. Dn. Perez. in Comment. C. ad leg. falc.* & alii per plures deducunt ab inventore suo, ut & aliarum multarum leges, ab autoribus suis denominatae sunt, *Publio Falcidio Tribuno plebis*, qui hanc legem sub imperio Augusti *A. V. C. 714. vel ut alii: A. V. C. 712.* Cnejo Domitio Calvino Polluone Coss. constituit, & lex dicta, non quasi à populo interrogante senatorio Magistratu, veluti Consule, lata sit; sed quod legis autoritas ipsi, sicut aliis tributa sit. *§. 4. J. d. I. N. G. & C.* Unde videre est, quod, malè illi faciant, qui Falcidium Consulem fuisse statuunt, quam sententiam *Bartolus in*





*l. i. b. t.* tenuit, ubi aliorum meminit, qui Falcidium Tribunum plebis fuisse putant, quam sententiam veram esse constat. Et sunt hac de re ista Dionis verba *lib. 48.* καὶ ὄνομα ὁ Φαλκίδης ὠνομασμένον, (πλείστην καὶ νῦν ἐν ἰσχύϊ ἐστὶ τῶν κληρῶν Δεδοχὰς ὡς εἶπεν τὸ τέταρτον τῆς καταλειφθείσης οἰσίας, λαβόντα, τὸ λοιπὸν ἀφείναι ἔχων) ὑπὸ τῆς πρυπλίας Φαλκιδίῃ δημοαρχῆν ἐτέθη.

4 Nec meliori laude digni sunt illi, qui circa derivationem huius nominis versantes à falcando deducunt, & Dd. adscribunt, quasi si vulgò à falcando derivent; Hanc enim, quam tuetur *Cyn. in rubr. C. ad leg. Falc.* opinionem, illos potius contempsisse, quam frequentasse patet ex *Dn. Habn. not. ad Wesenb. ad leg. Falcid.* Sed, missis his ad definitionem accedamus.

5 Definitur autem *Lex Falcidia*, quod sit plebiscitum, quo cautum, ne ultra dodrantem hereditatis suæ testatori legare liceret, ac si quid ultra legatum fuerit, deminutionem patiatur, seu tantum legati detrahatur, quantum dodrantem excedunt, ut sc. apud heredem, heredesve pars quarta integra remaneat, *l. 91. ff. ad leg. Falc. pr. f. eod. tum ipsius heredis causa. l. 71. ff. ad Leg. Falc. tum etiam testatorum gratia, ut effectum habeat ultima voluntas, pr. f. b. t.*

6 Olim liberam lege XII. Tabb. fuisse legendi potestatem, patet ex *pr. f. b. t.* ita enim ista lex erat concepta: Pater familias uti super pecunia, tutelave suæ rei legasset, ita jus est. *pr. f. ad leg. Falc.* ita ut hac lege concessum esset, totum patrimonium legati ex haurire, ut scripti hæredes, aut parum aut nullum caperent lucrum, & propterea se solis oneribus implicare recusarent. Quod

7 quoniam non solum contra naturam legatorum, ut patrimonium totum consumerent, cum legatum non nihil ex hereditate delibare, hoc est, deminuere, non autem universum, quod heredis futurum erat, exhaurire debeat, *arg. l. legatum 116. ff. de legat;* sed & damnosum esse deprehenderetur, ob id, quod plerumque intestati morerentur, unde visum est, ex Reipublicæ usu esse, si hæc licen-

tra



tia aliquo modo coarctaretur, id quod commodè fieri arbitra-  
bantur, si aliqua lege id prohiberent, quem in finem & *Lex* 8  
*Furia* lata, quæ denominationem ab autore suo Cajo Furio  
Tribuno plebis habet, qui liberam hancce potestatem legandi  
aliquo modo coangustavit. Cavebat enim, ne cui supra mille  
asses legare liceret. *Ulp frag. t. 1. §. 1.* Constituta, quadrupli pœ-  
na in eum qui plus cepisset. *Ulp. ibid.* & forte hæc eadem lex est,  
quam intelligit *Marcus Tullius pro Corn. Balb. Tulit apud majores*  
*nostros legem Cajo Furio de testamentis.* Non tamen ausim hoc 9  
certò affirmare, quia, quid eâ lege, quam memorat, cautum sit,  
non exprimit; Atq; ex *Ulpiano* & *Theophilo* discere possumus,  
quid lege *Furia* testamentaria cautum tentatumq; sit, coërcendæ  
licentiæ causa legandi, videlicet, ne testatori plus, quam mille  
asses legare liceret. Qua re quidem modus aliquis imponeba- 10  
tur legatis, sed cum facilè evenire potuisset, ut uno atq; altero  
præsertim non opulenta hæreditas, vel tertio legato tota absum-  
meretur, & si plures essent legatarii, illud agi poterat, ut penes  
hæredem, vix unus aureus remaneat & hoc modo res ad vetus in  
commodum recideret. Tunc *Q. Voconius* Tribunus plebis, 11  
quoniam lege *Furia* non omne in commodum sublatum esse, de-  
prehenderet, abrogata lege *Furia* aliam tulit, quæ nomen *VOCO-*  
*NIA* ab inventore suo accepit, quæ cautum, ne legatarius plus,  
quam hæres haberet, hæcq; lex certis terminis circumscripsit le-  
gandi licentiam, dum de cunctis cavet, ne ultra constitutum, per-  
missumve in legata consumatur. Verùm ne hac quidem lege fi- 12  
nis legandi factus, quid enim uni interdicebat, alteri concedebat,  
ei enim, qui census esset, interdicebat, ei verò, qui census non esset,  
licebat per eandem legem plus legare, uti ex *Cicerone* patet.  
Unde cum harum legum neutra faceret ad rei consummationem, 13  
novissimè lata est *lex Falcidia* *pr. §. ad leg. Falc.* tam in te-  
statoris favorem, quam gratiam hæredis; hujus quidem, ne re-  
pudiaret hæreditatem, sed justo lucro ad adeundam eam invita-  
retur; illius ne suprema voluntas morientis destitueretur, hæcq;  
lex est, quæ certum modum præfixit legatis, quæ re solum etiam  
antiquatis superioribus recepta, & in hoc usque tempus tracta.



- 14 Hujus legis duo facit capita *L. 1. ff. ad leg. Falc.* *Primum ita conceptum est: Qui cives Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogata testamentum facere volet, jus potestasq; esto. ut hac lege sequenti licebit. Secundi capituli verba haec sunt: Quicumq; civis Romanus, post hanc legem rogatam, testamentum facit, is quantum cuiq; civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestasq; esto, dum ita detur legatum, ne minus, quam partem quartam hereditatis, eo testamento (nec enim alibi quam in testamento legatum relinquebatur.) heredes capiant, eis, quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam sine fraude (sine poena nimirum quadrupli.) sua capere liceto, isq; heres, qui eam pecuniam dare jussus, erit damnatus, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus est. Vide Gothofredi notata ad h. l. 1. Quamvis Duaren. *L. 1. disp. c. 38.* hujus legis quatuor constituat capita, nullam tamen probabilem rationem habemus, quare a Paulo recedere debeamus.*
- 15 Hæc lex obtinuit primum in legatis, testamento relictis, non enim aliter legata relinqui poterant, quam testamento *L. 1. pr. ff. ad Leg. falc.* quibus ultra modum hæres erat oneratus *L. 2. C. ad leg. falc.* Producta procedente tempore, & ad fidei commissarias hereditates, cautumq; Senatus consulto Pegasiano (Vespasiani Augusti temporibus Pegaso & Pusione Coss. lato.) ut & qui rogatus esset, restituere hereditatem, perinde liceret, quartam portionem retinere atq; ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. *S. Sed quia heredes l. de fideic. hered.* Et quidem fidei commissaria particularia, seu singularia testamento relicta eo ipso statim, ut lex Falcidia lata est, minuta sunt per *L. 2. & 3. C. ad leg. Falc.* Ubi ratio Falcidiæ adversus omnes, pro modo legatorum & fidei commissorum, locum habere dicitur. Deinde hoc etiam confirmat *L. explicato 1. ff. ad Scdm. Trebellian.* Ubi verba *explicato tractatu, qui ad fidei commissaria singularium rerum spectat, & quia legata fidei commissis sunt exæquata.* Ergo in his etiam cepit lex Falcidia. *S. Sed non. 3. ff. d. legatis.* Fraus etiam aliàs facile legi Falcidiæ fieri potuisset, & fidei commissis datis ea elidi potuisset, cum centum annis post legem Falcidiam factum fuerit, Senatus consultum Pegasianum videat. *Dn. Habn. notat.*



notat. ad Wesenb. tit. ad leg. Falc. cujus elegantissima verba ad-  
scribere non piget. Alii legem Falcidiam non solum ad legata, 21  
sed & fidei commissa particularia pertinere verius arbitran-  
tur L. 1. ff. ad Scem. Trebell. Nos distingvimus cum Bach. h.  
vel qvæstio est de fidei commissis testamento relictis, vel ab in-  
testato. Illa etiam per legem Falcidiam minuta fuere, eo ipso quo  
lex Falcidia lata est. Rationes vide apud eundem. Qvæ- 22  
quam Cujacius putat illam, non porrigi ad fidei commissa parti-  
cularia, cum tantam restringat legata testamento relictæ, non &  
fidei commissa, qvæ tempore, quo lata est, non erant in usu, nec  
vim habebant, qvæ demum per Augustum accessit, ut non possit  
ad fidei commissa particularia pertinere, sed in iis, ut & univer-  
salibus habeat locum Trebellianica, quam tamen, fatendum est,  
eundem habere effectum, qvem Falcidia, saltem qvoad particu-  
laria propter exæqvationem. Atq; hinc est, qvod veteres qvæ- 23  
tam Senatus consulti Pegasiani, quam nunc Trebellianicam voca-  
mus, non qvartam Pegasiani, sed qvartam Falcidiæ aut comodum  
Falcidiæ appellarint ut videre est in L. 1. L. 10. 11. ad leg. falc. l. cohe-  
redi. 41. § 3. d. vulg. & pup. substit. l. 2. §. ult. ff. d. jure. dot. Licet discri- 24  
men sit inter res, qvæ in hæc qvartas imputantur. Nã in Falcidi-  
am tantum ea imputantur. Nam in Falcidiam tantum ea impu- 25  
tantur, qvæ hæres jure hæreditario capit, in qvadrantem verò  
Pegasianum, etiam ea, qvæ hæres fiduciarius jure Legati, vel fidei  
commissi capit, aut conditionis implendæ causa l. qvoad autem 74.  
l. id autem 76. L. in qvartam 91. ff. ad. legem Falc. Unde per om-  
nia exæqvata sunt legata fidei commissis qvoad qvartæ detracti-  
onem. Ex constitutione Divi Severi hæc lex applicata est ad 26  
donationes mortis causa L. 5. C. ad leg. Falcid. ff. d. mort: caus.  
don. Siquidem effectu sunt similes hujusmodi donationes, non  
habentes sui firmitatem ante mortem donantis L. 2. C. d. mort.  
don. etiam si extra testamentum & codicillos sint factæ L. 37. ff.  
de mort. caus. don. Donell lib. 8. c. 24. Molina D. 213. num. 2. Cuj.  
lib. 20. O. 6. Bach. ad Treutl. V. 2. D. 19. d. ult. lit. B. Berlich. p. 1.  
c. 1. n. 39. Item ad donationes mortis causa omnium bonorum, 27  
ita, ut ex hisce indistincte & omnimodo, tam de Jure commu-  
ni, Saxonico per tradita Carpz p 3 c. 1. d. 1. & Berlich. p. 3. c. 1.





*quam de jure communi p. lex. in l. 5. C.*  
28 n. 44. & seq. In Electoratu tamen Saxonico simpliciter cessat in  
donationibus omnium bonorum mortis causa, detractio illa  
propter textum in part. 3. constitutione Electorali r. §. Damit  
nun darinnen vers. So ordnen in verb. fin. Daß also die Falcidia  
in unseren Landen in diesen und andern donation, so auf den Todes-  
fall geschehen/nicht stat haben soll vid. *Dn. Carpz. p. 3. c. 1. d. 5. Berl.*  
29 p. 3. c. 1. n. 46 & seq. & ita Resp. *Dn. Lipsient. M. Jul. 1598.* Quæ  
tamen constitutio strictissime accipi debet, nec ad codicillos &  
legata, ut & detractio Trebellianicæ extēdi debet, quia nō solū  
correctoria juris communis, sed &, quia strictissime statuta acci-  
pi debent, ne per ea jus comūne nimis lædatur, *Carpz. p. 3. c. 1. d. 7.*  
30 Hæc, quæ diximus, etiam obtinent in donatione omnium bo-  
norum, ab uxore marito mortis causa facta, aded, ut etiam faldi-  
31 dia de bonis mobilibus detrahatur. Licet enim maritus in foro  
Saxonico omnia mobilia bona uxoris, etiam sine donatione lu-  
cretur, nihilominus de his quoq; detrahenda est Falcidia, si do-  
nationem is acceptaverit, ita ut hæredes de universo patrimonio  
uxoris, Falcidiam detrahere possint, etiamsi illud non nisi in bo-  
nis mobilibus, quæ aliàs maritus percepisset, consistat *Matth.*  
*Coler. part. 1. dec. 12. n. 73. & 74. Berl. p. 3. c. 1. n. 63. Carpz. Jurpr for. p. 3.*  
*c. 1. d. 4.* tollit namq; provisio hominis, provisionem legis *l. ult. C.*  
32 *de pactis.* Per Divum Pium ad legata ab intestato præstanda  
*l. 13. ff. ad leg. Falc. l. 10. C. eod. tit.* Item ad ea, quæ morte confir-  
mantur *l. 12. C. b. t.* veluti sunt donationes conjugum inter vivos  
factæ, sed morte eorum confirmatæ, quia ejusmodi donationes  
vim habent fidei commissi *l. 12. C. ad leg. Falc. Schneidvv. ad §. ult.*  
33 *num. 10. §. de leg. Falcid.* Porro detrahi quoq; potest quarta  
licet principi *l. 4. C. ad leg. Falc.* quia legi Falcidiæ non obstat di-  
gnitas *Donell. lib. 8 c. 27. lit. L. Reipublicæ, aut Civitati l. 3. §. 2. ff. b. t.*  
34 aut amplius Deo immortali relicta sint *l. 1. §. 5. ff. b. t.* Pariter procedit,  
si cohæredi prælegetur *l. 17. C. b. t. l. 15 §. 2 ff. b. t.* In debito remisso  
mortis causa *l. 15. pr. eod. tit.* In liberat one legata *l. 22. §. 3.*  
35 *ff. b. t.* Idem, Si quis unum, aut alterum legatum solverit  
integrum, ab aliis tamen non prohibetur Falcidiam detrahere  
*l. 16. pr. ff. ad leg. Falc.* Et, si una res legata, ejusq; aliqua solu-  
ta, ex reliqua plena potest retineri Falcidia. *l. 16. §. 1. ff. b. t.*  
Quod



Quod etiam in juribus, legatis veluti usufructu *l. 68. pr. l. 81. pr. ff. ad leg. Falc. Gail l. 2. O. 143. n. 5.* aut, quod in nominibus est, *l. 1. §. 7. ff. b. imò in alimentis legatis, quorum tamen aliàs in jure magnus favor l. 89. pr. ff. b. t. in legato servo communi procedit l. 49. ff. eod. tit.*

In pactis dotalibus idem obtinet secundum jus civile, quia pacta <sup>37</sup>  
dotalia, quatenus sunt de futura successione Dd, nihil aliud esse pu-  
tant, quam mortis causa donationes. *Berl. p. 3. c. 1. n. 56. & seqq.* & fa-  
ciunt huc omnes illæ rationes, ex quibus communi jure locus est  
Falcidiæ in donationibus mortis causa.

#### MEMBRUM II.

§. I. Postquam paucis quidem, pro nostro tamen instituto, con- <sup>1</sup>  
sideravimus Etymologiam, Definitionem, & in quibus obtineat, nunc  
quoque accedamus, nostræ ut satisfaciamus pollicitationi, ad Subje-  
ctum & quæ in principio tractare polliciti sumus. Subjectum  
s. eum, qui utitur, quod attinet, est solus hæres *l. 71. ff. ad leg. Falc.*  
ejusque successor *l. 10. C. b. t.* non legatarius, aut fideicommissarius  
*l. 47. §. 1. b.* ne quidem fideicommissarius universalis, cum fideicom-  
missarius jus detrahendi, tum demum habeat, si hæres fiduciarius  
quartam non detraxerit, ea mente, ut eam donaret fideicommissa-  
rio *l. 1. §. 19. ad Scm Trebell.* Interim tamen, si quid detractum est <sup>2</sup>  
legatario, pro rata portione fideicommissaria, cui aliquid restituere  
jussus est, rectè imputatur. Quod si à pluribus hæredibus institutis <sup>3</sup>  
in genere sit legatum, omnibus non amplius licet detrahere, quam  
quadrantem, inter ipsos dividendum, sin verò in specie & seorsim à  
quibusdam fuerit legatum, tum quivis illorum, qui gravatus est, quar-  
tam suæ portionis de legatis, à se præstandis deducit. *l. 77. ff. b. t. &* <sup>4</sup>  
*§. 1. §. b.* Si duobus, aut pluribus hæredibus, ex certis partibus insti-  
tutis unius dutaxat portio legatis onerata sit & exhausta, aliis verò,  
quorum partes non sunt gravatæ, quarta sit salva. Exemplo res fiet  
clarior: Testator cum centum in bonis haberet duos hæredes, Titium  
& Sejum, utrumque ex semisse instituit, à Titio quinquaginta lega-  
vit, à Sejo nihil, aut viginti quinque, ita, ut apud Sejum quarta pars  
maneat integra. Queritur, an Titius integra quinquaginta legatariis  
exsolvere debeat? Et videri poterat legi Falcidiæ esse satisfactum, <sup>5</sup>  
cum quarta pars apud alterum maneat illibata, utique satis esse ad in-  
tentionem legis, hoc est, ad sustinendum testamentum, si vel unus  
suo

B

suo





fuo quadrante contentus hæreditatem adierit. Placuit tamen in proposito Titium quartam partem ejus partis, ex qua institutus est, retinere posse, quippe legem non simpliciter cavere, ut pars quarta hæreditatis salva maneat, sed nominatim, ut hæredes quartam partem ex testamento capiant. Vid. §. 1. *J. d. leg. Falc.*

6 Quod procedit, quando uterque hæres, portionem suam agnoscit, quando verò alter omittit, difficultas est, si enim unus deficiat hæres, cujus portionem alter habere incipiat, jure accrescendi, multum refert, an portio non gravata accedat gravatæ, an verò gravata non gravatæ, priori casu separatim Falcidiæ ratio non habetur, sed portio non gravata accedens gravatæ auget hæreditatem, & prodest legatariis. *l. 1. §. 13. ff. ad. leg. Falc.* Pone Titium & Sempronium ex æquis partibus institutos & à Sempronio legata multa ultra dodrantem relicta esse, à Titio verò non ultra dodrantem. Titii non adeuntis pars cum accrescat Sempronio, legatarii ab eo petunt legata sibi relicta, ille vult ea minuere, quia ait, partem suam non sufficere, ad ea legata solvenda, deducto quadrante.

9 Objicitur illi totam hæreditatem sufficere, si minus ipsius pars sufficiat, & ideò confusionem utriusque semissis faciendam esse, ita quidem, ut circa legem Falcidiam habeatur ratio, non tantum semissis, ex quo hæres institutus est, sed totius assis, qui ad illum pervenit, ut possit videri oneratus ultra dodrantem. Sin verò portio onerata accesserit, non oneratæ cessat ratio, ob quam diximus prodesse legatariis, quia separatim habetur ratio, totamque ejus partem consequitur, quæ gravata non est, ut ex altera parte deducat Falcidiam & diminuentur legata. *l. 78. ff. ad leg. Falc.* Formam beneficii ex Lege Falcidia quod concernit, alia est *essentialis s. intrinseca*, alia *ejusdem exercendi*. *Forma intrinseca* in eo consistit, quod sit juris quoddam remedium, à plebe introductum, quo consultum fuit hæredibus, ut, si nimiam legatis exhausta fuerit hæreditas, habeant, ut ne gratis nomen hæredis ferant. Circa formam exercendi consideranda sunt duo.

13 1. *Modus*, quo à legatis aliquid detrahitur, 2. *Remedia*, quibus detrahitur. *Modus* prærequirit inspectionem, tum eorum,



eorum quæ hæres in Falcidiam, à se retinendam,  
imputare debet, & quæ non, tum quantitas  
patrimonii. Quantitas illa (quæ tempore mortis spectatur) 15  
ut sit certa deducenda, sunt (uti ex §. 3. ff. ad leg. Falc. videre est)  
tria. (1) Æs alienum, id est, omne id, cuius præstandi necessitate 16  
defunctus obstrictus fuit, l. pater. 54. ff. b. t. æris alieni quoque  
loco habetur, si quid est, cuius præstandi causa quis tenetur  
vid. l. 39. ff. b. t. Cujus verba: Æris alieni loco deducuntur non  
solum pretia eorum, qui supplicio sunt affecti, sed & ejus, quem  
pater propter proditæ mortis indicium, vel detectæ eorum con-  
juratiõnis libertate donavit. Hæres quoque ante solutionem 17  
legatorum ea, quæ sibi tempore mortis à defuncto debentur,  
deducit, quia in lege Falcidia non tempus aditionis, sed tempus  
mortis attenditur, ut hæres ex hoc tempore hæreditatis jam ha-  
beat jus quæsitum, idcirco postea nihil operatur actionum con-  
fusio. (2) Debent deduci funeris impensæ, quæ nimirum fiunt cau- 18  
sa funeris, ut funus ducatur, mortuus efferatur & sepeliatur, &  
sine quibus, neque funus duci, neque mortuus sepeliri honestè po-  
tuisset, & hæ impensæ semper ex hæreditate deducuntur, &  
omne debitum præcedunt, cum bona solvendo non sunt.  
(3.) Et ultimò pretia servorum, non tantum eorum, qui 19  
testatoris proprii fuere, verum etiam, quos, hæres, cum alieni es-  
sent, redimere & manumittere rogatus est, per l. 37. ff. ad leg.  
Falc. In Falcidiam, quæ hæres imputare debet, & quæ non, 20  
universa illa reconsebumus. Prioris generis, quæ imputantur,  
sunt I. Res ab hærede alienatæ l. 3. §. 3. ff. ad scem. Trebell. 21  
II. Res, quas hæres suâ culpâ amisit l. 61. ff. ad leg. Falc. 22  
III. Quæcunque hæres jure hæreditario capit vel habet l. 74. 23  
l. 76. pr. & §. 1. l. 91. ff. ad legem Falcidiam. IV. Quæ non figurâ 24  
conditionis hæres ab eo accipit, cui hæreditatem restituere ro-  
gatus l. 30. §. 7. ff. eod. tit. V. Debitum naturale, quod conditio- 25  
nis implendæ causâ solutum est hæredi l. 21. pr. ff. b. t. VI. Por- 26  
tio, vel hæreditas sub conditione data, quæ, existente conditione,  
accedit parti purè datæ l. 87. §. 3. ff. eodem. VII. Portio pupilli  
non gravata, substituto gravato accedens l. 11. §. 5. 7. ff. eod. 27



Posterioris generis sunt. I. Quæ jure legati, fidei commissi vel  
29 conditionis implendæ causa, capiuntur ab hærede. II. Lega-  
tum, quod extrinsecus suspenditur l. 1. §. 4. ff. ad leg. Falcid.  
30 III. Portio non gravata, cui accedit gravata l. 1. §. 14. ff. eod. tit.  
31 IV. Id quod hæredi à defuncto inter vivos est donatum, nisi ideo  
donatum sit, ut solida legata præstet l. 56. §. fin. ff. eod. tit.  
32 V. Quod ab extraneo dotis causa datum est l. 14. pr. ff. ad leg. Falc.  
33 VI. Res, quæ per fidei commissum relinqui non possunt, ut sunt,  
34 res sanctæ, res Sacræ l. 30. §. fin. ff. ad leg. Falc. VII. Illa, quæ ex  
re alterius, quamvis testatoris judicio & voluntate, ad hæredem  
35 perveniunt l. 74 ff. eod. tit. VIII. Portio hæredis non gravata, acce-  
dens gravatæ, non jure ejus testamenti, sed alia ratione l. 1. §. 15.  
36 ff. eod. tit. IX. Portio substituti non gravata, cui accedit por-  
tio pupilli gravata, si pupillus patri hæres extitit l. 78. §. 4. in fin.  
37 ff. ad leg. Falc. Remedia quod attinet, plerumque constitui solent  
quinque, quamvis Treutlerus putet in sel: Disp. vol. 2. Dis. 14. ad  
leg. Falc. th. 4. Olim tantum jure retentionis quartam hæredem  
consequi potuisse, hodie verò vindicationis, nullum tamen ad-  
fert solidum fundamentum, ex quo deduci possit, quod sua sen-  
tentia sit vera. Vide Bachov. ad Treutl. Vol. 2. D. 14. ad. th. 4. Ideo-  
que à communi Dd. sententia quinque constituentium recedere  
38 non debemus. Quorum primum dicitur: *Jus retentionis*,  
si ipse possideat l. 15. §. 1. ff. ad leg. Falc. l. 18. C. eodem tit. Se-  
cundum, *Rei vindicatio* l. 26. ff. h. t. absurdum enim aliàs  
sequeretur hoc, si res legata ad legatarium pervenerit, hæredem de-  
39 tractionem legis Falcidicæ perdere. Tertium quandoque *actio in*  
*factum* l. 77. §. 2. ff. d. legat. Quartum si errore facti solvit soli-  
dum, vel alio modo ex errore quid ad Legatarium pervenit,  
*Condictio indebiti* l. 1. §. 11. ff. h. t. l. 39. ff. de cond. indeb.  
Quintum quandoque est *actio ex stipulatu*, si scilicet lega-  
tarii stipulanti hæredi promiserunt, de restituendo eo, quod  
ultra dodrantem fuerit legatum l. 1. si cui plus, quam per leg. Falc.  
vid. Nobilissimi Dn. Doct. Bornii Colleg. ad hunc tit. Et hæc dicta  
sunt de remediis, quibus hæres potest sibi debitum consequi;  
Nunc



Nunc eò nitamur, ut satisfaciamus nostro promisso, quia pro-  
pter finem, qui tamen aliquo modo ex dictis apparet, aggredia- 40  
mur. *Finis* est hujus remedii introducti, vel *principalis*,  
vel *minus principalis*. *Principalis* est favor hære- 41  
dis; Quamvis hîc videam, multos dissentire, statuentes legem  
Falcidiam principaliter in testatorum gratiam esse introductam;  
nostra tamen sententia his probatur rationibus: quod hac lege  
legandi licentia coarctetur *in pr. f. b.* quod in testamento mili-  
tis, quod maxime favorabile est, & in quo simplex voluntas te-  
statoris spectatur Falcidia cesset *l. 12. c. d. testam. milit.* Hujus ta-  
men rationis reddit Dn. *Treutl. in sel. Disp. Vol. 2. D. 14.* ratio- 42  
cinium, ubi ita: *De eo non immeritò quæsitum est inter interpre-*  
*tes, cum in testatorum gratiam, ne scilicet intestati morerentur,*  
*lex Falcidia introducta dicatur, cur tamē ea in militaribus testamen-*  
*tis cesset l. si certarum 17 §. fin. de testam. milit. & quidem putamus,*  
*hac lege non interveniente, extremas militum voluntates nihilominus*  
*exitum habere posse, dum, recusante scripto hærede, hereditatem*  
*adire, substitutis, vel hæredibus ab intestato venientibus incumbit*  
*defuncti voluntatem executioni mandare hætenus sic.* Sed ad  
hanc nullam rationem respondet *Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp.*  
*14. ad leg. Falc.* quem videre potes, si responsionem expetis, ubi  
etiam *Nov. l. c. 1.* sensum explicat. Accedit porro ratio, quod 43  
lex Falcidia, prout introducta est, habet invito testatore locum  
*l. 15. §. 1. & ult. b. t.* quamvis hoc mutatum jure novissimo per *au-*  
*thent. sed cum testator c. b. t.* & quod inducitur contra testatoris  
voluntatem *l. 86. ff. b. t. ad leg. Falcid.* expressè dicat, hæredis  
causa legem istam esse latam.

*Minus principalis* est, ut testatoris voluntas conservetur, 45  
& exitum habeat, quod non fieret, hæredibus hæreditatem,  
quam relicto quadrante habuissent, repudiantibus. Hoc, de Fal-  
cidia jam dictum, ita obtinet. Quibusdam tamen in casibus fit, ut  
Falcidia locum non habeat, quos, qui, quotq; sint, ordine recen-  
suri sumus: Inter quos se *primò* offert casus. Si testator ve- 46  
tuerit, circa quem Doctores quærere solent, an sufficiat tacita  
prohibitio? & affirmativè eam decidunt Dn. *Rittersh. ad Novell.*  
*part. 6. cap. 5. n. 11, 12. Matth. Berl. p. 3. concl. 1. num. 72.* Nega- 47



tivam autem amplexi sunt *Dn. Matth. Wesenb. in parat. ff. ad leg. Falc. n. 8. Jacob. Menoch. l. 1. presunt. 45. num. 15. Dn. Carpzov. Ipra. forens. p. 3. c. 1. d. 13.* cum enim constaret ex *Nov. 1. c. 2. § 3.* quod testator expressè eam vetare possit, non ignarus, quis modus sit sui patrimonii, inde quæstio supra dicta emerfit, quam  
48 negativè decidimus, moti *Nov. 1. c. 2. quod ita.* Hæc autem dicimus: ubi errans testator de sua substantia hoc egit, aut forte cum debuisset, etiam ampliorem quantitatem hæredi relinquere, pro minore disposuit, etenim etiam hoc errantis sententiæ est, & non puræ & integræ designationis, si verò expressim designaverit, non velle hæredem Falcidiam retinere; necessarium est valere testatoris sententiam, & aut volentem enim parere testatori, forsan etiã quædam justè & piè relinquenti: Lucrum non in percipiendo, sed  
49 solummodò piè agendo, habentem &c. Ex quo capite, & verbis, hujusmodi argumentum produco, testator, cum hæredem legatis ita, ut portio, quæ illi debetur, apud eum non permaneat, onerat, id, errore ductus fecisse videtur, & præsumitur forte, quod existimaverit, se plus in bonis habere, quàm revera haberet, sæpissimè enim homines facultatum suarum ignari, de iis plus sperant, quàm in istis est. Unde ergò Falcidia minimè cessabit, si  
50 testator integra legata præstari mandaverit, & absq; diminutione. Multò magis enim inveniet locum, quia per errorem, hoc  
51 fecisse præsumitur *Dn. Carpz. p. 3. c. 1. d. 13.* atqve hanc sententiam etiam confirmavit *Serenis: Elector dec. 43.* Porro cessat  
52 lex Falcidia II, ob factum hæredis, nimirum, si non confecerit inventarium secundum formam in *Nov. 1. c. 2. §. 2. si vero. Authent. sed cum testator d. l. l. ult. c. d. jure delib.* quia legem præscriptam contemnendam censuerunt hæredes, qui postquam sese immiscuere, & adiere hæreditatem, jam indultum à jure, tempus ad inventarii confectioem elabi neglexerunt *d. l. ult. §. 12.*  
53 *de jure deliber.* Item, si promiserit se Falcidia non usurum *l. f. c. ad. leg. Falc.* vel, si renuerit implere voluntatem *Nov. 1. c. 1.* Si res hæreditarias subtraxerit, vel occultaverit, & si quis solverit legatum integrum, sciens quantitatem hæreditatis, tenetur aliquis etiam solida præstare. *Nov. 1. c. 3.* hisce enim casibus legi Falcidiæ non erit locus, quia aliquid intervenit, quod facit, quo minus



nus hæres illa possit uti. Ideoque sibi ipsi imputare debet, quod  
tam imprudenter hac in re fuerit versatus. Aliud tamen obtinet, 54  
si errore facti ductus integra legata præstiterit. Hoc enim casu  
nihilominus legi Falcidiae erit locus. 3. Cessat lex Falcidia ob 55  
privilegium Testatoris, quod sit miles. *l. 7. C. ad leg. Falc.* 4. Ob 56  
conditionem rei legatae, ut in dote prælegata. *l. 57. 81. ff. ad leg.  
Falc.* In legatis ad pias causas an simpliciter cesset, quaestio 57  
est, & hanc cessare, communiter statuitur, nitunturq; illi huic sen-  
tentiae, qui Calculum suum addunt; *Authent. similiter. c. ad leg.  
Falc.* verum, si textum *Nov. 131.* <sup>inspicimus</sup> animadvertimus, legem Falcidi-  
am non simpliciter cessare in piis causis, sed dum demum, si in iis  
præstandis hæres morator & tergiversator fuerit, vel dolo malo  
affirmaverit, patrimonii vires non sufficere, igitur non frustrator  
hæres etiam ex piis legatis Falcidiam deducit. Quamquam, Dn. 58  
Cujacium contrarium sensisse video, Sed huic opponam For-  
nerium & Robertum, cujus elegantissima verba Quin adscri- 59  
bam, mihi temperare non possum, is *lib. 2. select. cap. 25.* in hæc  
verba erumpit: sunt tamen, qui Deorum dona excipiant, ut soli-  
da sine onere Falcidiae præstentur ab hærede, mutataq; apud  
Paulum affirmatione, in negationem sic legant ad municipium  
quoq; legata, non etiam ad ea, quæ DEO relinquuntur, lex Falci-  
dia, pertinet. Adducuntur alio Pauli loco, in quo est lex Falci-  
dia itemq; sic Pegasianum. Quam equeidem emendationem 60  
probare nullo modo possum, cur enim Pauli sententiarum libros,  
ab Alarico & Aniano interpolatos sequemur, ut tot exemplari-  
um fidem, in Pandectis etiam Florentinis constantem, elevemus?  
Nec verò eorum, qui pusillo corpori nævos multos asperserunt,  
sententiae suffragatur religionis prætextus, cujus causa strictam  
juris rationem insuper habemus. ~~l.~~ *43. ff. de religios. & sumt:  
funer.* Nego, legatum DEI tolli, cum admodum legitimum  
revocatum aliquot unciis delibatur. Nego, legis Falcidiae, quæ  
testatoris cæterorumque jus tuetur, rationem esse stricti  
juris *l. pen. c. ad leg. Falc.* Testamenta conservari è Re-  
publica est *l. 4. ff. testam. quom. aperiunt.*  
Itaq; legis Falcidiae æquitas S. C. edictis, constitutionibus prin-  
cipum producta & interpretatione dilatata est; At lex quæ do-  
nationes





878  
nationes inter conjuges inhibuit, uxorem viro in honorem & cultum DEI donare permittit *l. 5. §. proinde ff. donat. inter vir. & ux.*  
61 reliqua vid. ibid. Cum enim vidisset antea citatus laudēq; dignus vir Cujacium hæcce verba: lex Falcidia, itemq; Senatus Consultum Pegasianum, deducto omni ære alieno, Deorumq; donis quartam residuæ hæreditatis ad hæredem voluit pertinere; interpretari ita, ut ne quidem eorum sensus cerni possit. Ita enim inferebat: Deduci prius oportet omne æs alienum & Deorum dona. Deinde aut Falcidianam, aut Pegasianam quartam, 63 tunc, coactus quasi, suam sententiam protulit. In legato, quod ne alienetur defunctus prohibuit. *N. 119. c. 11. avth. Sed ei in re c. b. in libertate legata l. 33. ff. ad leg. Falc.* etiam lex Falcidia vires 64 suas amittit. In foro Electoratus Saxonie in pactis dotalibus etiam locum non habet, etiam si hæc, de bonis universis etiam futuris, extra judicialiter coram quinque testibus facta fuerint, quia ejusmodi pacta dotalia etiam extra judicialiter facta, ex speciali Electoris Sanctione *in constit. 43. p. 2.* Conjugi superstiti deferunt, successionem in hæreditate defuncti, adeoque ipsum hæredem faciunt, atque hærede instituto, non licet hæredibus alias ab intestato venientibus Falcidiam detrahere *pr. f. d. leg. Falcid. Dn. Bened. Carpz. Ipr. forens. p. 3. c. 1 d. 11. n. 9. & seqq.* Et hæc dicta sunt de lege Falcidia, Si Fortè adhuc quædam ad hanc materiam pertinentia omisi, aut in aliquid impegi, Lector Benevole, te rogatum volo, ut serena fronte accipias, mihiq; ignoscas.

F I N I S.




X2615907


VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

~~XXXVII~~

N. J.  
NEM LEGALEM

1669/18

ALCIDIA,

issu  
arii & Amplissimi Jcto  
celeberrima  
LIPSIENSI,

DIO  
di, Prenobilissimi, Am-  
ssimi atq, Excel-  
ni

MÆI LEONHARDI  
NDÖRFFERI

ris Spectatissimi, Canonici  
Curia Supremæ & Facultatis  
Spectatissimi &c.

utoris omni honoris cultu  
afficiendi,  
otui submitte

IS VVEISSENBORN,  
s, Thur.

PETRINO.

nb. 1669.

IÆ,  
Wittigaviani. *J. M. Fuglmann*